PASCASIUS. HYSTORIA.

Vię syon et cetera. Premisso ghe transit ad singularum species personarum ut dum genus per species dividitur et species in genus redintegrantur luctus amplior multiplicetur. et quia treni lege metrica componuntur secularis eloquentię fulgori interdum ornantur et per metaphoram rethorica proprietate distinguntur. Unde hic dicitur. Vię syon lugent et cetera. Non quod vię sentiant aut lugeant scilicet in solitudinem redactę luctum transeuntibus excitant eo quod non sint qui ad sollempnitatem veniant. Simile est quod moyses ait. Audite celi quę loquar et cetera. Isaias quoque celum et terram in testimonium vocat. ut cuncta cognoscant elementa dominum iuste iratum ad iracundiam provocatum. Delech tabularum de imputribilibus enim tabulis cedrinis scilicet et cethim constructa erat domus dei. Vię syon et cetera. Octavus per quem dicitur factum quod non oportuerit non factum quod oportuerit. ALLEGORIA. Vię syon id est Quotiens ecclesia intus forisve peccatis repletur furoris domini amaritudine intus lugent vię porte iacent destructę gemunt sacerdotes squalidę sunt virgines ut toti tabulatura domus quaternario numero designata concussa videatur. Unde ieremias alibi. State in viis et videte et interrogate vias domini et cetera. Vię sunt prophete patriarche et alii per quos ad christum qui vera lux est et via est pervenitur. Sicut enim dicitur lux a luce christo sic vię possunt dici ab ipso. Unde abraham prima credendi via appellatur. Huius sunt vię syon id est civitatis celestis. hę lugent et gemunt. quod non sint qui veniant ad sollempnitatem celestis patrię. Quia portę destructę. Qui enim presunt officio nec ipsi introeunt nec alios intrare permittunt. Sacerdotes gementes quia scilicet lugent vię virgines squalidę quia destructę portę. Iure autem sacerdotes virginibus copulantur quia virginitate sacerdotium pollet et virginitas sacerdotium eget. Quibus constitutis qualibus sequentium verba commoritur. Unde generaliter sequitur. Et ipsa oppressa amaritudine. et si patitur unum membrum compatiuntur omnia. MORALITAS. Vię syon id est Virtutes scilicet ad supernam urbem ducentes ad sollempnitatem animę cui sponsus ablatus est cum anima de arce superne contemplationis ad exteriores labitur actiones. Sollempnitas eius est vitę celestis intima contemplatio scilicet non sunt qui veniant id est scilicet effectus scilicet portis vitę non venerunt ad sollempnia contemplationis divinę quia portę sensuum destructę. Sunt enim portę mortis sunt et iusticię de quibus dicitur Aperite mihi portas iusticie et cetera. Et in ysaia. Aperite portas et ingredietur gens iusta. Sed quia mors intravit per fenestras nostras squalet animę virginitas et gemit regale sacerdotium dum pro virtutibus replemur amaritudine viciorum. Egrediamur igitur de portis mortis et portas vitę reedificemus. interrogantes quę sit porta domini ut ambulemus in ea.

Tabularum introducitur quadratura spes secundum anagogen hanc officio domus dei connexa quadrato culmine consurgit. viis scilicet portis sacerdotibus virginibus.

# DELETH

Vię syon lugent [id est predicatores id est celestis] eo quod non sint qui veniant [id est pedibus mentis] ad sollempnitatem [id est patrię celestis vel constitute diem sollempnem in condensis usque ad cornu altaris]. Omnes porte eius [id est angelorum] destructę [id est quę debebant ornari]. sacerdotes eius gementes [id est qui deberent gaudere]. virgines eius [id est pro peccatis id est castę intentiones mentes] squalidę [id est quia a viciis corruptę id est quę deberet fulgere]. et ipsa [id est plebs subdita] oppressa amaritudine [id est viciorum].